



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

V. Viri sanctitate & doctrinâ illustres, qui è Paderbornensi Gymnasio  
prodierunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

ræ fuisse, ut perpetuò Religionem honestis artibus copularet, sed etiam cum immortalium ingeniorum partus ad locupletandam his talibus Ecclesiam perquireret, id perinde DEO gratum existimasse, atque si aras & templa poneret. Qui ita de codicibus, mutisque membranis sentiebat, quid is se facere credebat, cum ipsos adolescentum animos, quorum paulò post innocentiam atque doctrinam Ecclesie dignitas niteretur, optimis disciplinis imbueret? Si enim qui rudes hominum animos CHRISTO conciliant, ii quoddam sacrificii genus, ut est apud Apostolum, DEO faciunt, nihilne operantur, qui ipsos plurimorum magistros mox futuros omni eam litteraturam expoliendos curant, quàm sit opus ad tam augustum, & humano generi salutare munus pro dignitate sustinendum? Equidem nihil dubitem negare ullam hecatombem DEO perinde decoram gratamque esse potuisse, atque ornatissimus ille nobilium adolescentum cœtus, qui illis temporibus in Paderbornensi Ecclesia, cum omnium præstantium artium scientiam percepissent, alii ad alias Ecclesias regendas vocati, illustribus suam quisque promeritis ornaverunt.

Rom. 15.  
6. 16.

## CAPUT V.

*Viri sanctitate & doctrinam illustres, qui è Paderbornensi Gymnasio prodierunt.*

IN iis fuisse legimus Unwanum Meinweri, atque Imadi propinquum, qui è Choro Paderbornensi, ut loquitur Adamus, assumptus, atque à S. Henrico Archiepiscopus Bremensis renunciatus, satis ostendit, præclara se quædam Paderbornæ sapientiæ & virtutis rudimenta posuisse. Hic est enim ille Unwanus, qui Bernardum Saxonie ducem res novas adversus Henricum sanctissimum Casarem molientem, omnes Saxonie Ecclesias inaudito scelere vexantem, & quod nefas est dictu, Vandalorum gentem per summam

Adam.  
Bremens.  
c. 86.



impietatem à Christianis sacris ad Ethnicam superstitionem  
 minis armisque cogentem fregit, ac domuit. Ille perpetuâ  
 necessitudine doctissimis viris jungebatur, quos partim nus-  
 quam ab latere suo dimittens, omnibus in negotiis adhibe-  
 bat: partim ad traducendos ad CHRISTUM populos in  
 Daniam, ac Norwegiam amandabat. In illo tanta erat flu-  
 xarum opum despicientia, ut non dubitaret, ingentibus Ec-  
 clesiae suae sumptibus atque jacturis, Aquilonares Reges po-  
 pulosque prensare, & dum eorum animos CHRISTO con-  
 ciliaret, suarum fortunarum detrimenta in lucro ponere. E-  
 ducatus est deinde Paderbornæ cum Imado S. Anno Archie-  
 piscopus Coloniensis, ut refert auctor vitæ B. Meinwerci. ne-  
 que refert, quòd ejus institutio à Lamberto Schafnaburgensi,  
 & aliis, Ecclesiae Bambergensi attribuat. Id enim eò fa-  
 ctum esse suspicor, quòd idem deinde Bambergensis Ecce-  
 siae Scholasticus fuit, atque ita cum in utraque litteras didi-  
 cisset, potius habita est ratio ejus, in qua præterea docuisset.  
 Facile quoque induxerim animum, propter incredibilem  
 D. Henrici in utramque Ecclesiam amorem & pietatem, tan-  
 tis munificentiae documentis testatam, eâ tempestate singu-  
 larem quandam Paderbornensi, cum Bambergensi Ecclesia  
 amicitiam ac societatem intercessisse. nam post mortem quo-  
 que D. Henrici, Poppo Paderbornensis Episcopus, qui Imado  
 successit, Bambergensis Ecclesiae Præpositus fuerat: ut jam  
 non sit necesse peruestigare, quemadmodum fieri potuerit,  
 ut idem S. Anno & Bambergæ, & Paderbornæ sit eruditus.  
 Porrò de S. Annonis laudibus dicere quid attinet? Cui enim  
 ignota est illius viri prudentia, qui Henrico III. Cæsare nec-  
 dum ad regnandum maturo, cum ejus esset tutor designa-  
 tus, universum imperium aliquot annos suis humeris susti-  
 nuit? quis de ejus facundia nihil legit, quo dicente complo-  
 rantium gemitu templa personabant? Nam morum sancti-  
 tas, tot miraculis confirmata divinitus, & publicis Ecclesiae  
 factis consecrata latere neminem potest. Annoni jungitur  
 ab auctore vitæ B. Meinwerci, in Gymnasio Paderbornensi  
 con-

Cap. 52.

Alis IV.

Ibid.



condiscipulus, Fridericus Monasteriensis Episcopus, nempe is qui sextusdecimus est ordine, si Krantzio credimus, Marchionis Misniæ filius. Hic quantum ex Annonis & Imadi contubernio ac condiscipulatu profecerit, perpetuâ in viros doctos voluntate, & singulari quâdam excellentate mentis ostendit. Fortè cum Monasterium venisset, repperit viros Ecclesiasticos non paucos, doctos juxta ac pios, laudabilem inter se quandam Religionis & litterarum societatem coisse. Ad hunc cœtum, ut est in excellentibus ingeniis insatiabilis proficiendi cupiditas, sese e vestigio aggregavit. Factus deinde Episcopus ædem Sacram D. Mauricii in suburbano extruxit, fundatoque ad eam honestissimo Canonico- rum Collegio, quantum in se fuit, providit, ne unquam Ecclesiæ suæ eorum hominum copia deesset, quorum institutis ac moribus plurimum ducebatur. Et quanquam, cum in solâ Magdeburgensi à plurimis dignissimus judicaretur, Weziloni D. Annonis germano posthabitus est, tamen nihil animo fractus, aut dejectus, illustre de se documentum dedit, non esse quòd, qui jam indè ab adolescentia virtutum sibi & sapientiæ ornamenta pararunt, altiorem aliis dignitatis gradum invident, cum in eorum sit manu, in quocumque fuerint collocati, proprium ei quoddam decus ac splendorem impertiri. Hos consecutus est S. Altmannus, qui, ut loquitur ejus vitæ scriptor, Paderbornæ ad regimen scholarum delectus, multosque annos eo munere præclare functus, primùm Præpositus Aquisgranensis, ac deinde Episcopus Pataviensis est renunciatus. Is in conventu Triburiensi, ubi Henrico Tertio Imperatore gravissimorum criminum à Principibus reo facto, atque à Gregorio VII. Pont. Max. sacris interdicto, de summa Reipub. agebatur, unâ cum Sigehardo Patriarcha Aquileiensi, ejusdem Pontificis vicem egit, vir, ut ait Lambertus, *Apostolica conversationis, & magnarum in Christo virtutum.* Neque verò præteriri debet Vicelinus, vir longè sanctissimus, quem Hollatorum, plurimorumque ad Aquilonem populorum Apostolum rectè dixeris.

Metrop.  
l. 5. c. 8.

Chron.  
Monast.  
MS.

Edita à  
V. Cl. Se-  
bast.  
Tengnagel  
à Biblio-  
theca Ca-  
sarea.  
Lamb.  
Schafn.  
an. 1076.



*Helmoldus  
hifor  
Slav. l. 1.  
cap. 43.  
Krantz. l.  
6.  
Metrop.  
cap. 2. Sa-  
xon. l. 5.  
cap. 29.*

xeris. Ad eorum salutem procurandam cum esset designatus à DEO, essetque insigni vitæ integritate, sed minimè pari doctrinâ præditus, hujus ei quoque comparandæ casum obtulisse dicitur. Versabatur Vicelinus in ulteriores Saxonia, in familia feminæ illustris, cujus teneros liberos erudiebat. fortè, ut inter potentium assèclas & familiares fieri solet, fuit qui herilem illi gratiam, felicesque successus invideret. Is cum summa viri innocentia nullam obrectandi materiam daret, inscientiam exagitare aggreditur. Promittit versum ex Achilleide Statii Papinii, cujus explicatio aliquid supra vulgus eruditionis exposceret. Eum locum sibi explanari convictio flagitat. hinc, cum bono Vicelino hæreret aqua, illi scilicet illudere, & exprobrare, quòd ipse rudis & imperitus alios se docere posse confideret. Pupugit hæc oratio, ut minimè malum, ita neque vilem abjectumque animum. Ergò dolore dissimulato, atque in discendi studium converso, Paderbornam advolat, ubi sub Hermanno viro doctissimo, de omni propè genere doctrinarum scholas celebrari cognorat. Ibi tantum progressionis brevi habuit, ut magistrum subinde in docendo sublevaret, & læcundas partes ageret, mox etiam Bremæ Ludum ipse administraret. Aliquot post annis, cum ferre non posset in Slavorum, sive Vandalorum gente, quorundam scelere, fidem Christianam vulgò abjici, atque prodi, sanctius quoddam docendi munus est exorsus. Trajecto siquidem, cum aliquot ejusdem propositi sociis, Albi, & factâ ab Henrico Vandalorum Principe potestate, viginti quinque ipsos annos per incredibiles ærumnas, summamque vitæ sanctitatem, toto animo ad revocandos ab Idolis ad CHRISTUM populus incubuit. Ad extremum ab Hartwico Hamburgensi Archiepiscopo, Aldenburgi, quæ Ecclesia complures annos Slavorum furore deserta squallebat, jam grandis natu Episcopus est constitutus. In quo dignitatis gradu nihil de illa pristina docendi, miserosque ad frugem reducendi contentione remisit, neque unquam remisisset, nisi plura quotidie pro DEI gloria sanctè



sanctè facere, & fortiter pati meditantem mors oppressisset, atque ad partem tot laboribus in cœlo palmam aliquando vocavisset. Hos tales ac tantos viros, cujusmodi vix singulos singulæ ætates ferunt; uno fermè sæculo omnes Paderborna formavit, vel perfecit, quo tempore non in ea modò à civibus, sed etiam ab exteris simul de Christianæ virtutis, simul de ingenuarum artium gloria certabatur. Tunc omnibus persuasum erat, flagitium esse, si, cùm parens liberis patrimonium augere laboraret, animi bona, quibus Reipubl. profint, habeant necne, flocci non faceret. Tunc majorum insignia, & natalium splendor ei probro censebantur esse, qui, dum per ætatem liceret, propria sibi decora non quæsisset, quibus relictam à progenitoribus claritudinem tueretur, & auget. Tunc seriò sentiebant viri Ecclesiastici dignitatem illam sui ordinis, quam majores nostri, præ cæteris gentibus, opibus, clientelis, ditione florentissimam esse voluerunt, sine Christianæ sanctitatis, & rectæ scientiæ studiis, in quibus omnis eorum vera gloria vertitur, retineri nullo modo posse. Tunc denique Antistites perinde erant animati, atque Te, Princeps Illustrissime, nunc videmus: ut me hæc ipsa reputantem spes oblectet fore, ut, cùm Tu nobis Meinwerci atque Imadi felicia tempora restituas, si hæc juvenus ad omne decus nata, tuis sapientissimis consiliis, optatisque respondeat, ex ea Annones, Altmannos, Vicelinos aliquando videamus.

## CAPUT VI.

*Paderborna Imperatorum in Westphalia proprium domicilium.*

**S**pero equidem neminem fore tam duri oris, qui, cùm tot Reipubl. lumina se Paderbornæ exortum lucemque suam acceptam ferre testentur, etiam ambigat, sitne Paderborna præstantibus ingeniis percolendis idonea. Potest tamen